









IN NOMINE JESU !  
METHODICA  
PRÆCIPUO-  
RUM ARTICULORUM  
FIDEI, SECUNDUM ORDINEM  
ARTICULORUM SCHMALCAL-  
DICORUM SYMBOLICUM,  
REPETITIO,  
*Cujus*  
DISPUTATIONEM II,  
De Schmalcaldi-  
corum Articulorum

Præfatione,  
PRÆSES

JOHANNES Deutschmann

D. & P.P. ac Alumnorum Elector. Ephorus,  
ET RESPONDENS

M. GEORGIUS WAGNERUS;

Radeberga Misnicus, Facult. Phil. Adjunct.

*proponent*  
*Ad d. Maij*

WITTENBERGÆ, Typis Johannis Haken, Anno 1663.



IN NOMINE IESU

METHO

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU

PRÆCIPU



## IN NOMINE JESU!

1. Vidimus ex *Inscriptione tractationem breviorē*, quæ *Naturam Articulorum Schmalcaldicorum* exponit: restat, ut *tractationem prolixiorē*, quæ scopum eundem intendit, minime negligamus. Illa *tractatio prolixior* in *Prefatione* nobis exhibetur. Ut n. alias *Prefationes*, instar *Προλεγμένων* cujusdam, præmittuntur, ita *prefatio Schmalcaldicæ Confessionis* illustrem *Προλεγμένων* exhibet, & paulò plenius, quam in *Inscriptione* factum est, *Naturam horum Articulorum*, & alia generalia præliminariter exponit.

2. *Tribus a. potissimum partibus Prefatio Symboli hujus* constat; (1) *Titulo*. (2) *Textu*. (3) *Epilogo*. *Prefationis Titulus* his notatur verbis. *Prefatio D. Martini Lutheri*. Nam quia B. Lutherus, mandato *Principum* & consensu *Doctorum*, universam *horum Articulorum*, quoad omnes partes, *tractationem* adornaverat, ideo *prefationem* hanc etiam *tractationi Symbolicæ* præmittere voluit, *partim propter ipsum Symbolum*, ut *naturam ejus in prefatione plenius exponeret*, & *autoritatem ipsius publicam adfereret*, à suis etiam *privatis scriptis* illud distingueret: *partim propter semetipsum*, ut *occasionem & causas impellentes* traderet, cur hos *articulos consignare* voluerit, quod videl. non ausu proprio, vel consilio domestico, sed *publico mandato Principum* id fecerit: *partim propter analogicum aliorum Symbolorum statum*: nam quia reliqua *nostrarum Ecclesiarum Symbola* certas *prefationes* sibi præmissas ostendant, utpote *August. Confessio p. 5. Apologia Confessionis p. 47. Catechismus Minor p. 359. Catech. Major p. 390. Solida declaratio p. 628.* ideo *Symbolum etiam Schmalcaldicum ante se quandam prefationem* exigere videbatur. Unde *publicam etiam huic prefationi* tribuimus *autoritatem*, quippe cum *autoritate publica* sit præfixa, & libro *Concordiæ publicis suffragiis inserta*.

3. *Prefationis textus uberius capita generalia* tradit, & rursus *Causas & Adjuncta* proponit. *Cause* duplicis generis sūt, aliæ *publicæ* videl. aliæ *privatæ*. *Publicæ* non incōmodè distribuūtur in *impellētes, & cōstituentes*. *Impellentium causarū* duæ recitantur vid.



(1) *Papæ Concilium* (2) *Principum mandatum* : illud potissimum *Principes*, hoc v. *B. Lutherum* impellebat : illud externum, hoc internum erat *motivum* ; illud *mediatè*, hoc *immediatè* *B. Lutherum*, & alios *Doctores* commovebat : illud *occasionaliter*, hoc *principaliter* ad scribendum *B. Lutherum* permovebat.

4. Quod *Papæ Concilium* hujus scripti causa fuerit impulsiva patet, tum ex clarissimis præfationis verbis, quæ testantur, quod articuli præsentis propterea collecti fuerint, quia *Papa Paulus III. concilium* indixerat anno 1536. circa Pentecosten 1537. *Mantua congregandum*, &c. tū ex conventus *Schmalcaldici* causis, quia *Protestantes* propter legationem *Procancellarii Cesarii*, *Matthie Heldi*, *Schmalcaldiam* convenerunt, cujus legationis præcipua pars erat de *Concilio*, per *Rom. Pontif.* indicto : tum ex *Schmalcaldicis actis*, de quibus legatur *Sleidan. lib. II. Triav. notat de hoc Concilio B. Lutherus* (1) *Incompetentiam*, quod *Papa Paulus III. concilium* hoc indixerit, qui simul reus, actor & iudex erat, quod coram *Heldo* pluribus apud *Sleidanum* *Protestantes* exposuerunt. *Bellarmin. l. I. de Conciliis c. 12.* probare quidē conatus est, ad solum *P. R. munus convocandi concilia generalia* proprie pertinere ; sed eum solide refutavit *B. Gesner. in libror. ejus refutatione.* (2) *ἀτυπία & inconvenientiam*, quod hocce *Concilium* minimè congruat promissis, sæpius in *Imperii Comitibus* factis, nec intentioni piorum atque *Protestantium* respondeat, quia *Papisticum* sit & *Anti-Christianum*, non liberum & *Christianum*, non in aliquo *Germaniæ loco*, sed potius *Mantua*, in *Italia*, sit cōgregandū. (3) *inconstantia*, quod illud *Papa* primū *Mantua*, anno 1537. mox *Vincentiæ* anno 1538. demum *Tridenti* anno 1542. celebrandum instituerit. Ratione temporis etiam frequens mutatio *Concilio* contigit, quemadmodum *historia superioris seculi* testatur, unde rectissimè *B. Lutherus* hanc *Pontificis inconstantiam* redarguit, quod scil. tum temporis nec ipsi *Pontifici*, nec aliis constiterit, quo & quando *Concilium* convocare, vel voluerit, vel potuerit. Duplici v. respectu *Concilium* hoc movit *Protestantium* tum *Principes*, tum *Doctores*, ad hos articulos colligendos, alius videl. *Conciliaris convocationis*, ut si vocaretur ad *Concilium*, his articulis instructi comparere, suamque publi-



publicam doctrinam Concilio proponere possent: alius *con-*  
*ciliaris condemnationis*, quia metuendum erat ipsis, ne non vo-  
cari damarentur: qua de causa damnationibus his intempe-  
stivis & illicitis maturè suam doctrinam, in S. L. fundatam, op-  
ponere, suisq; Ecclesiis hoc pacto consulere voluerunt.

5. Quod *Principum Protestantium Mandatum* etiam impel-  
lent cause fuerit, mox adjicitur. *Injungebatur mihi*, scribit B.  
Lutherus, videl. Unanimi *Principum & reliquorum Statuum*,  
consensu atque mandato, ut *articulos doctrine nostrae conscribe-*  
*rem & colligerem*, si forte res procederet, ut constaret, quid & qua-  
tenda Pontificis cedere, & in quibus capitibus constanter persevera-  
re & vellemus, & possemus. Laude quippe digna *Statuum Prote-*  
*stantium vigilantia*, quia suos Theologos *Schmalcaldiam* secum  
adducere voluerunt, cum audivissent *Legatum Imperatoris* in-  
ter alia de *Concilio* quoque nonnulla propositurum, ut in hac  
*Concilio* causa ipsorum opera præsenti uti possent: *vigilantiæ*  
quoq; non obscurum indicium est, quod publico consilio &  
mandato, *Luthero* cum primis, qui currus & auriga tum *Israe-*  
*lis* erat, consignandorum articulorum curam, in futurum *con-*  
*cilii* usum, imposuerunt: & ne quis inter nostrates Doctores  
extaret dissensus, circa publicum hoc scriptum, in eo quoque  
suam *vigilantiam* testati sunt, ut conscriptos articulos censuræ,  
vel examini reliquorum omnium subjicerent, & articulos ex-  
aminatos solemnī subscriptione Theologorum munirent. Ne-  
que minorem meretur laudem B. *Lutheri promptitudo & obedi-*  
*tia*, qui facilem in omnibus, ad cursum Evangelii & Ecclesia-  
rum commodum facientibus, sese præbuit: & post alios la-  
bores etiam hanc conscriptionis curam in se suscepit, ut prin-  
cipes in agnita veritate confirmaret, Papistarū errores & abo-  
minationes denuo retegeret, machinationes Pontificis & alio-  
rum adversariorum sub Concilii prætextu impediret, suæque  
doctrinæ certitudinem & rectitudinem, ut & factæ reforma-  
tionis necessitatem ostenderet. Denique notanda *verborum i-*  
*storum sententia*, siquidem nec sensu Papistico, quo pars adversa  
semper urgebat, ut *Lutherani Pontificis* cederent, de sua do-  
ctrina recederent, & ad Ecclesiæ Papisticæ gremiū redirent: nec



*sensu Syncretistico, quasi coalitione quadam, cedentibus & quodammodo remittentibus Papistis tum de suis erroribus, talem etiam cessionem Lutherus intenderit, ut Syncretismus Lutheranopapisticus inde conflare posset, quem hodie nonnulli somnare videntur: sed orthodoxo sensu hæc verba declaranda sunt ex mente dicentis (1) non absolute, sed respectivè: respiciunt n. hæc verba vexatas tum temporis quæstiones: An, quid & quatenus Pontificiis Lutherani cedere possint? Perpetua papistarum querela de pertinacia Nostrorum erat: neque deerant Neutrales, Politici, Syncretistæ, Mollipedes, & alii, qui nimiam obli-  
 nationem nostris objiciebant, è contra remissionem aliquam rigoris suadebant. Respectu proinde quæstionum illarum B. Lutherus inquit, videndum esse, quid & quatenus Pontificiis cedere possimus? non tam ex sua, quod ex S. Alt. a. redeam: in sequentibus patet, quam ex aliorum sententia. (2) non de doctrina Christiana sed de externa, vel Ecclesiastica hierarchia. Nam doctrina non est nostra, sed Christi, qui primus eam revelavit, & prædicare mandavit, adeoque nemo Christianorum in doctrinalibus cælestis veritatis capitibus vel ad latum saltem unguem cedere potest, quia si quis minimum in verbo DEI, vel quoad fidei capita, vel quoad vitæ præcepta, solverit, & sic homines docuerit, minimus h. c. nullus, in regno Dei vocabitur Matt. V. 19. Si verò tota doctrina cælestis salva maneat, in externis Christiani faciliores esse possunt, quod etiam Apolog. Confess. art. 15. notavit. (3) non Categoricè, sed hypotheticè: non quasi Papistis cedere vel possit, vel velit, aut quasi de fide, sive doctrina tua, hætenus cõtra Papistas allata, ullo modo dubio sit: sed quia sæper illi de antiqua fide, de doctrina Ecclesiæ, de vero Catholicismo, gloriabatur, suisque gloriationibus glaucoma tū Politicis, tū rudioribus objicere conabatur, ideo B. Lutherus, de fide sua certissimus, de Papisticis erroribus maximè cõfirmatus, sub hac hypothese cessionem aliquam, quasi per impossibile, cõpromittebat, si nim. ex Sacris scripturis veritatē Papisticæ, falsitatē Lutheranæ doctrine, vel intra, vel extra Cõciliū demonstrarent. Sed hypothesis ista Papistis ipsis tū impossibilia videbatur, quemadmodum Eccius in Augustanis Comitibus coram Bavaria Duce falsus erat.*

6. Quod



6. Quod attinet causas constituentes, sicut alia constitutio est interna, alia externa, sic etiam constituentium causarum alia sunt interna, alia verò externa. Causarum internarum una dicitur Materia, quæ sunt Articuli doctrinae Christianæ, vel Lutheranae, non in omni sua latitudine spectati, sed sub determinato quodam respectu considerati, quatenus Concilio sunt offerendi, & quatenus ostendunt, quid & quatenus Pontificiis cedere possimus, & in quibus capitibus constanter perseverare debemus. Vocatur aliàs Obiectum considerationis, quod tum Materiale, tum formale cōmuniter includit: sic etiam hic Materiale partim occurrit, Articuli Christianæ, vel Lutheranae doctrinae, partim formale, quatenus Concilio sunt offerendi &c. Utrumq; B. Lutherus indicat, quando dicit, sibi mandatum, ut Articulos Doctrinae nostræ conscriberet, ut constaret, quid & quatenus Pontificiis cedere, & in quibus capitibus constanter perseverare & vellemus & possemus.

7. Altera causarum Internarum Forma vocatur, quæ variis actibus hic exprimitur, quod nimirum consistat hujus Symboli ratio formalis (1) in Synodica collectione, quia B. Lutherus in Schmalkaldensi Synodo hos articulos collegit §. 1. (2) in synodica conscriptione, quia collectos articulos conscripsit, ut certum aliquem libellum distinctis partibus constituere possent, imò symboli communis instar, in publica Principum & Theologorum Synodo eos consignavit, & ad usum publicum atque conciliarem in ordinem præsentem illos redegit §. 2. (3) in publica conscriptorum articulorum traditione, vel oblatione, quia B. Lutherus conscriptos Articulos toti parti Lutheranae tradidit. (4) in unanimi receptione, confessione & approbatione, de quibus §. 2. & subscriptione, sicut ex conclusione manifestum. Unde §. 2. Publica fidei nostra Confessio, quæ vere publicum Ecclesiæ Symbolum constituit, appellatur.

8. Externa cause sunt tum Efficiens, quæ vel Principalis, Status Protestantes, de quibus tria B. Lutherus hic adducere voluit, quæ cause Principalis statum inferunt. (1) Principale conscriptionis mandatum §. 1. (2) Principale conscriptorum articulorum suffragium §. 2. quia recepti sunt à Principibus, & unanimi confessione

fione



sione approbati §. 2. (3) *Principale decretum*, quia non tantum hi articuli approbati sunt, sed de iis etiam *decretum est*, ut in Concilio publice offerrentur. Nominatim a. Schmalcaldia conveniant, juxta Sleidan. d. l. p. 320. Johannes Fridericus, Elector Saxoniae, Ernestus & Fraciscus, Luneburgici Fratres, Ulrichus Wirtembergicus, Landgravius, Philippus Pomerania Princeps, Anbaldii tres & Albertus Mansfeldicus. Deinde Civitatum nomine Legati quamplurimi cum amplissimis mandatis. Et horum autoritate Conventus Synodicus Theologorum celebratus est, & in concilio qs. plurium provinciarum hoc ipsum Symbolum consignatum & approbatum.

10. Vel *Instrumentalis*, quæ fuit mandatum Statuum Protestantium, quia B. Lutherus jussu Procerum articulos conscripsit, §. i. eosdē reliqui Theologi perlegerunt, receperunt, & ad Principum mandatum subscripserunt, ut ipsimet testantur p. 356. De Mandato Illustrissimorum Principum & ordinum, ac Civitatum Evangelii doctrinam Profitentium relegimus articulos Confessionis &c.

11. Tum *Ministerialis*, quæ consideratur tum ratione Consignationis, sic B. Lutherus est causa Ministerialis horum Articulorum, quod Inscriptio cum Prefatione testatur: apertū a. est mendacium, quod B. Lutherus in his articulis vel sibi, vel Concordiæ VVittebergenſi contradixerit, prout contra Palatinos id ipsum affirmantes Giessens. in der Wiederlegung p. 475. demonstrarunt: multò minus Aug. Confessioni B. Lutherus in his articulis contradixit, ut Thom. Henrici Anatom. quæst. 5. proem. & alibi fingit. Lutherus v. tribuitur (1) Articulorum collectio §. 1. quia ex Sacris Literis, Ecclesiasticis & præcipuis Doctorem Ecclesiæ scriptis, hos articulos collegit. (2) Articulorum consignatio §. 2. (3) Articulorum communicatio, quia nihil ex autoritate sua fecit Lutherus, quod ab Adversariis eidem falsò tribuitur, sed ut scribendi mandatum à Statibus, tanquam Principibus suis, primum accepit, sic ipsum scriptum postea Protestantibus Statibus obtulit, & censuræ Principum ac Theologorum postremo subjecit. Tum ratione cōprobationis, quo pacto reliqui Theologi

Schmal-



Schmalcaldia congregati, *causa Ministeriales* horum Articulo-  
rum fuerunt, quibus adscribitur (1) Articulorum receptio & rele-  
ctio. (2) Articulorum approbatio & Confessio. (3) Articulorum Cō-  
firmatio & subscriptio, sicut partim ex prefatione §. 2. partim ex  
conclusionibus, partim ex ipsa subscriptione, liquidum.

12. Tum *Finis*, qui duplex, alius internus, nim. Articulo-  
rum conscriptorū, instar Symboli, receptio & approbatio, siquidem  
à parte Lutheranorum tum Statuum Politicorum, tum Theologo-  
rum, recepti dicuntur, & unanimes confessione approbati: quia  
imò propterea conscripti sunt, ut publicam doctrinam contine-  
rent, publicam Principum atq; Doctorum confessionem exhiberēt,  
& Symbolum Ecclesiarum nostrarum publicum constituerent. Ali-  
us externus, quia decretum est ab omnibus, ut articuli praesentes  
Concilio, si quod à Papa & Pontificiis tandem sine mendaciis &  
fraudibus, vero, legitimo & Christiano modo institueretur, publicè  
offerrentur, & in eodem etiam fidei nostrae Confessionem explicarēt.

13. Tantum de *Causis publicis*, nunc etiam *privatas*, vel se-  
cundarias prefatio tradit, quæ non tam primam Articulo-  
rum consignationem, quam succedaneam eorum publicationem  
respiciunt. Hæ publicationis cause concernunt ex una parte  
Pontificem Romanum, ejusque futurum Concilium §. 3. siquidem  
licet B. Lutherus, cum aliis Bonis viris, ex Pontificiis bullis, factis  
& aliis signis, nihil aliud colligere potuerit, quam nunquam fu-  
turum universale, legitimum, liberum & Christianum Concilium,  
tamen hos articulos in adversariorum Confusionem publica-  
re voluit, ea de causa, quæ Romana vel aula, vel Curia Christia-  
num, liberamq; Concilium, (& omnia Concilii talis incitamenta, &  
inter ea publicam ejusmodi Confessionem, libero & Christiano  
Concilio destinatā) formidet, & lucem turpissimè fugiat (1) quia  
Pontificiis etiam ipsis spes Concilii Christiani non tantum convocan-  
di (quod facilius esse videbatur,) sed etiā ferendū & concedendū  
prorsus adempta: (2) quia hinc etiam offenduntur multi Papistarum,  
& agrè ferunt negligentiam istam Papæ, qua fugit Concilium libe-  
rum ac legitimum: (3) quia ex his omnibus facile colligunt, mal-  
le Papam interitum totius Christianitatis, & damnationem omnium

B

anima-



*animarum, quam sui & suorum vel exiguam saltem reformationē,  
& quam tyrannidi suae modum praescribi patiatur.*

14. Ex altera parte publicationis causae concernunt B. Lutherum, ejusque reformationem. Nam B. Lutherus hos articulos publicae luci donare voluit (1) Propter Confessionis & reformationis suae statum, ut videl. si citius ex hac vita evocaretur, quam Concilium congregaretur (hoc n. ita eventurum esse, omnino non ex obscuris indiciis colligebat, imò confidebat prorsus & sperabat, quia videbat, quomodo lucifugae Papistae nimium inprotrahendo & impediendo Concilio laborarent) posteri testimonium & confessionem ejus haberent, & hanc alteri, prius publicatae, Confessioni conjungere possent, in qua haecenus constanter permanserat, & per Dei gratiam se permansurum, totus assererat.

15. (2) Propter Confessionis & reformationis suae fatum, tum quoad variam malevolorum accusationem §. 4. quod n. Malevoli varia de Luthero mendacia, non tantum post mortem, sed etiam cum adhuc in vivis esset, sparserint, ipse Lutherus passim testatus est. Confer. Comment. in Gen. c. 26. Item Giessens. Biedel. leg. contra Cassell p. 110. Tum quoad necessariam omissae responsionis excusationem §. 5. quia tum temporis omnium ora obstruere vix possibile videbatur. Tum quoad apertam illius maledicentiae demonstrationem §. 6. quia Papistae contra Lutheranos in exteris regnis multis fingeant, & Regibus persvadebant, apud ipsos nullam esse Ecclesiam, nullum Magistratum, nullum coniugium, sed promiscue omnes pecudum more vivere pro arbitrio. Caelestin. t. 3. hist. Comit. August. praefat. haec etiam affert. Persvaserant multis Principibus Monachi & Pontificii assentatores, nullo tempore pestilentiorum haeresin excogitatam esse, & sparsam doctrinam Lutheri: eaque hominum mentes ita corrumpi & infici, ut nisi illa opprimeretur, & igni atque ferro exterminaretur, maximam partem hominum, in Germania viventium, de salute sua periclitaturam esse. Sic in vita D. Jacobi Andreae p. 15. 16. similis historia recensetur. Legatus Caroli V. quem Heroldum appellant, deditioem urbis (Stutgardiae) petiit. Ea de re dum Senatus urbis deliberat, civis quidam, Stephanus, Ducis Udalrici equestris cursor, a legato Caesareo petit, ut pro infante sibi recens nato in baptismo spondeat. Quod se promptissime facturum

cum



cum promississet, infans in templum allatus à D. Jacobo baptizatur, quem Legatus Cæsareus ex Baptismo suscepit. Quo confecto, idem Legatus D. Jacobum accedit, & ei sex dimidios Bacos offert. Quos cum ille recusaret, quod arbitraretur vel ad puerperam, vel ad obstetricem pertinere, Legatus sinistra manu utrumq; donum monstrat, quò l. & puerperæ, & obstetrici oblaturus erat. Et insuper addit: Ego Domino Deo meo gratias ago, quod & viderim, & audiverim te in fide sanctæ Ecclesiæ Catholicæ baptizasse. Et quamprimum ad Imperatorem venero, bona fide referam. Cui D. Jacobus; se aliter non posse baptizare, neq; aliter quoq; baptizatum esse extoto hoc tempore, quo mutatio Religionis suscepta, & Pontificiæ errores atq; abusus abrogati sunt. Ad quæ Legatus inquit: Certe apud Cæsarianos persuasissimum est, vos & fidē, & religionem omnem prorsus abjecisse. Nulla esse apud vos Sacramenta, nullam venerationem sanctorum &c. Quæ calumniæ responsione prorsus indignæ sunt.

16. (3) *Propter Christianum & pium Concilii votum, l. desiderium.* Ne Papistæ mendaces reliquis calumniis etiam hanc ullo prætextu adjicere possent, quod vel *Lutherus*, vel *Socii Christianum, liberum atq; legitimum Concilium fugerent*, ideo B. *Lutherus* optavit hic ex animo, Concilium tale, sæpius promissum, aliquando congregari, imò necessarium esse tale concilium demonstrat, non ratione nostri, q. reformatione quadam illi opus haberent, aut de sua doctrina certi minus essent, sed ratione status publici, videlicet in rebus maximè seriis, tum quoad Ecclesiasticam §. 7. tum quoad politicam §. 8. minime v. necessarium, ut in rebus ludicris Papistarum Concilium operam perdat, itidem monstrat §. 8. De quibus omnibus textus ipse consulendus erit.

17. *Adjunctum articulorum unum adducitur §. 9. videl. Paucitas*, quod numeri ratione paucos articulos conscribere voluerit (1) *propter mandatorum divinorum præsentiam*, quia jam Dei verbum, & mandata nos in omnibus vitæ generibus informant. (2) *propter mandatorum divinorum copiam & sufficientiam*, quia jam antea satis est mandatorum Dei in Ecclesia, in Politia & œconomia. (3) *propter nostram insufficientiam*, quia nec Dei mandatis satisfacere possumus: nullis igitur aliis in Ecclesia mandatis

datis



datis opus est. (4) *propter conciliarium decretorum & mandatorum Dei differentiam*, quia nihil prodest ista copia decretorum, traditionum & legum in Concilio, cum præcipua capita à Deo mandata nec curentur, nec servantur. (5) *propter divinorum mandatorum præ conciliaribus decretis eminentiam*, quia Deus nequam in ludicris fabulis Conciliorum acquiescere, & interea sua divina mandata pedibus ut conculcentur, ferre constituit. (6) *propter gravissimam horum temporum penam*, quia peccata nostra nos aggravant, nec sinunt Deum nobis esse propitium, quoniam, poenitentiam non agimus & insuper omnem abominationem defendere volumus. Potius igitur divinis præceptis, iisque paucissimis inhærendum, ut illa rectè cognoscamus, eis obediamus, quam ut in Conciliis traditiones & constitutiones multiplicare velimus.

18. *Epilogus* ardentissimam precationem complectitur, qua B. Lutherus invocatur summum Conciliorum Præsidem, Jesum Christum, ut universale Concilium extremi iudicii celebrare, suosque adventu glorioso liberare velit (1) quia actum est de Papa & Pontificis, dum neque Christum, neque Christi verbum amplius audire sustinent. (2) quia Papa, tanquam Antichristus, prorsus Christum non curat. (3) quia miseri & inopes Christiani, adversus hunc Antichristum, presentissimo Christi adjumento indigent. (4) quia propter hanc liberationem fideles in desinenter gemunt, & Christum ex corde quarunt secundum eam, quam ipse per Spiritum S. dat gratiam, qui cum Patre & Filio vivit & regnat benedictus in secula Amen.

19. Denique quod attinet *Oeconomiam*, seu *Divisionem*, hoc symbolum Schmalcaldicū dividitur in Articulorum Catalogum, & Epilogum. Prior articulos Christianæ doctrinæ complectitur, tū quoad articulorum enumerationem; hæc tribus tractatibus absolvitur, quorum primus 4. secundus itidem 4. tertius 15. articulos exponit; tum quoad articulorum consignatorum confirmationem, per subscriptionem Theologorum, quæ dogmaticis articulis annexa. Posterior rursus 3. continet (1) Dogmaticam appendicem, eamque duplicem, alteram de potestate & primatu Papæ; alteram de potestate & jurisdictione Episcoporum (2) Synodicam Theologorum approbationem (3) Distinctam Theologorum subscriptionem, sicut hæc omnia liquidò satis ipse libellus ostendit.



VO 17



